Mundus vniuersus exercet histrioniam.

QVuisquis colūnis Delphici inscripsit Dei
Γνῶθι Σεαυτον,scripsit vt scirent Dei.
Præcepta Diuis tradidit,nunquam viro.
Humana enim mens corporis squalens lue,
Et mersa cæca pectoris profundie,
Caligat,& delirat,vt nusquam suas
Cognoscat artes,Quispiam si nouerit
Iurare possis diuus est,non est homo.
En ista mundi præpotentis machina
Distincta stellis ignibusq; fulgidis:
Refert Theatrum:Terra fit proscenium:
Cohors Deorum spectat,ille alter Deus
Cœlum residens inter,& terras HOMO,
Scænam capessit,Fabulas Diuis facit,
Mimus Decorus,ludibundus Histrio.
Fortuna partes aptat,& gestus docet
Frænare,& ora.quilibet vestit suas
Conditq; dotes,quas potens Dei manus
Infudit in hæc pectoris præcordia.
Simulata tantum prodimus,latent ea
Silentq; quæ sunt nostra, quæ non suut patent.
Quodcunq; sortis prodiga effudit manus,
Loquitur,boatq; quicquid at melior dedit
Natura mater,infima mersum est specu.
En inter ista tot virorum millia,
Quæ mundus vlnis iste concludit suis,
Nemo est repertus,ipse qui siet suus
Et corde,& ore.differunt ad inuicem
Persona ficta,quiq; personam induit.
Natura semper vltima in scænam venit,
Catastrophenq; p rficit,iure & suo
Plausum requirit.Fabulis in omnibus
Loqueretur illa primulum:partes eas
Natura quas debebat,en nunc sors agit.
En illa cunctos fasciis rapit suis,
Vnoq; temporis momento contegit
Nudumq; corpus,mentis & nudum iubar.

Factum Finitum.

SImulac Potentis artifex manus Dei,
Cœleste finxit corpus,& sphæræ suæ,
Subiecit ignem,fornicemq; cærulum
Flammantis ætheris,humidamq; fabricam
Voluentis aeris,& vagas Ponti vias.
Grauidamq; terram sedibus fixit suis.
Sanciuit acta,ne quid illorum foret
Aeternitati peruium:ast crebra vice
Circum rotata,cederent,& surgerent.
Sic Pontus atrox continentis helluo,
Glubit voratq; terras,& Tellus mare
Spumans resorbet rursus,in suam trahens
Vertensq; formam debitosq; fluminum
Riuumq; cursus ore vasto ingurgitat,
Ceruisiamq; cæruli potat Dei.
Et quamuis ista rursus vt surgant,cadunt,
Non sempiterna fuerit hæc recessio
Sed illa terminatur:& licet nouæ
Formæ resurgant,interim veteres tamen
Non diruentur.ista sed solers dies
Nouis,nouisq; couuoluta vestibus
Simul reseruat omnia,vt tollat simul.
Tunc,cum supremus,vltimusq; terminus
Aduentet orbi,quo tot annorum graui
Adiectione pressus,& senio suo
Succumbat Atlas:machinamq; feruidam
Mundi æstuantis collo deiectet suo.
Et inter ista perstat infælix Homo
Terra atq; cœlo factus,& quamuis sua
Meliore parte cælitum callem premat,
Aeternitatis inclytam affectans viam,
Corpusq; post se linquat;æternum tamen
Vigere nescit,quippe quòd cæpit suam
Haurire vitam.Quicquid ERGO Clamitent
Quodcunq; FECIT FINIIT potens Deus.